

72.
Q. B. V.
EXERCITIUM ACADEMICUM,
De

U S U R I S

Quod
Consentiente ampl. Facult. philosoph. in Reg. ad
AURAM *Academ.*
Sub AUSPICIO
VIRI Cl.

D^N. ALGOTHI A.
SCARIN,

Histor. & Phil. Moral. Prof. Ord.

Ventilandum modeste sistit

NICOLAUS WIJDBOHM, P. F.

Satacundensis,

Loco horisque consvetis

Die 12. Julii An. 1742.

ABO Æ,
Excud. Joh. Kiæmpe, Reg. Acad. Typ.

Viro Summo reverendo atque celeberrimo;
Dn. ANDRÆ BERGIO,

S. S. Theol. Do&. ac PROFESSORI primario, dice-
ces. Aboënsis ARCHI-PRÆPOSITO, utriusque Consisto-
rii ADSESSORI, nec non Eccles. Svecan. Aboëns. &
Nument. ANTISTITI gravissimo,

Mæcenati Summo.

Ingrati hominis nota, Mæcenates, jure meritoque mi-
verem silentii. Numerum eorum quoties inire volo, cer-
levidense vero cum cogito, quo usuram longi temporis, bene-
dem, adeoque pro nihilo putandum, nisi ab auctoritate VE-
nis aliquantulum, quod opto, sperarem. Quidquid sit, vo-
dum dixerò, nuncupare, nullus intermittam: velit DEUS
& sospites conservare, reipublica literaria nostra evidenti bo-
que perenni

Maximorum No-

cultor de-
NICOLAUS

Viro amplissimo atque Celeberrimo,

Dn. HENRICO HASSEL,

Eloquentiæ, ad regiam hanc Academiam, **PROFESSORI**,
Consistoriiqve Academici ADSESSORI
gravissimo,

Mæcenati Magno.

*hi inarenda esset, si qua in me contulisset beneficia, nube involte, quam quæ sperare potui, majora invenio. Munusculum voluntiæ Vestra remuneratum venio, illiteratissimum illud quæ-
STRA gratiæ plurimum, a pietate mea vero commendatio-
ta, quæ nunquam solvere possum, pro Vestra incolumitate,
in longissimos mortalis ævi terminos, **VOSMET** salvo
no, clientumque, quibus me quoque adscribatur oro, præsidio at-
gaudio.*

minum Vestrorum.

Verissimus
WILDBOM.

Plurimum reverendo atque clarissimo

Dn. PETRO WIDBOHM,


PASTORI in Cangasala & Cuhmalar meritissimo.

PARENTI reverentia filiali æternum colendo.

Nihil est certe, *PARENS indulgentissime, quod non a Te* accepi, *promovende felicitati meae necessarium. Sunt beneficia, quæ mihi contulisti, majora, quam ut in vicem hostimenti ego quidquam rependere queam. Uluras tamen, quas ex sænebri pecuniâ Tuâ lucrari potui, quamvis centesimam credite sortis partem nullo modo æquent, benigne accipe. Cum questum nandinationemque, quod spero, hæc ipsam altius provexero, grandiolem, & si fieri possit, unciariam, Tibi Tuisque meritis exsolvere conabor. Tu interim ecclesie adificationi commodo familia, omniumque, qui nobis bene cupiunt, gaudio & oblectamento, salvus sospesque vive. Illud ut eveniat, Summum Numen nunquam non ardentissimis defatigabo precibus*

Parentis charissimi

Filius obsequentissimus
NICOL. WIDBOHM



PRÆFATIO.

Non ambitione aut fiducia virium aliqua, sed iucunditate sola argumenti ejusque excellentia, & denique discendi ardore, curriculum, quod jam ante pedes est, ingredi, & in eodem lacertos meos, quamvis imbecilles, exercere, in animum induxi. Rem esse indaginis altæ, moliminisque quàm, assequi & sustinere possit ætatis & ingenii ratio mea, majoris, satis scio; Ast cum viderem ad propagandum inter homines illud tantopere necessarium vitæ commercium, illiusque æqualitatem, hanc de *usuris* doctrinam admodum multum proficere. Cum, inquam, non e longinquo perspicere, quantum in republica *usum* quoque commercia præstent, civium hominumque, pacis atque belli tempore, indigentia subveniant, in summa: ad rem nullam non bene gerendam momenti habeant, hanc percontationem præsertim elegi, cujus, in modum liberalis exercitii, moralitatem excuterem. Fateor ingenii pauperi mei, præsertim vero temporis, summam, qua in præsentia premor angustiam, nullo modo assequi posse amoenitatem & copiam, quæ me undique circumstant. At postquam in arenam semel descendi, pedemque, non confecto stadio, retrahere inglorium existimavi, spei votique fiduciam hanc concepi saltem, fore ut si non no-

1
stræ opellæ, argumenti elegantis habite ratione tamen,
pia tener tati Temet pènes, L. B. veniam non anxie, ne-
que difficulter iuveniam.

S. I.

Quoniam multi in tractatione argumenti, nomine
etymologiæ non in antecessum rite excussæ, nescio
non cuius erroris atque defectus argui sæpe solent, ne
quam eiusmodi litis ab initio mihi mouendæ occasionem
dem, paucis etiam hac de re monere, consultum existi-
mavi. Tanto vero brevior illa opera erit, quanto igno-
rum nemini esse potest, *usura* vocabulum primam suam
originem debere omnino verbo deponenti: *utor*, quod
tantundem valet, atque *ad suas rationes rem aliquam ad-
jungere*, applicareque. Hinc vero permultas iterum ite-
rumque fluere vocis ejusdem significationes, multa de-
rivata, nemo non videt; de quarum explicacione, mi-
nus necesse est ut in præsentia multum disceptetur. No-
bis sufficit novisse, *usuræ* notionem originem suam quo-
que arcessere ab *usu* & *usione*, quod vocabulum *VARRO-
NI* usitatum invenimus. Usura itaque idem est, atque
usus: hoc est emolumentum & operæ pretium, quod ex
re sua, præsertim verò pecunia non perperam locata quis
reportat. Quamobrem *CICERO* in illa juvenibus magis
quam senibus suspicienda atque legenda cygnea cantione
sua, libro, p. 174, quem de *Senectute* senex ipse scripsit: *Terra*,
inquit, *nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit*,
quod accipit: sed alias minori, plerumq; majori cum sanore. Usuræ
vocabulum, apud alios atque alios auctores, præsertim
vero *CICERONEM*, simpliciter & in genere pro rei
cujuslibet, utpote gaudii, lucis atque temporis usurpa-
tionæ, accipi solere, nunc non moveo. Sunt ista eloquentiæ
latine studiosis notissima, quæ proinde non ultra tangit,
sed

ed transilit potius oratio & præsens disquisitionis nostra. Id adijciendum saltem, omne quod pro ceterorum corporum usu pretium solvi solet, illud *mercedis, pensionis, redditusque* nomine venire: *usuram* verò pro pecuniæ numeratæ foetu & accessione, eademque indies magisque accrescente, semper fere accipi solere:

§. II.

Definitionem in nominalem & realem dialecticis dividi, in confesso est. Quamcumque speciem præsentis instituto applicuerimus, parum refert. In genere *usura* nobis nihil aliud est, quam commodum acceptum a re nostri peculii quacumque, mutuo data alteri atque concessa; aut si dicere mavis: est *accessio sive incrementum rei peni suo numerata, quod creditor exigit pro usu sortis suæ*. A nonnullis veterum definitur, quod sit jus alienis rebus utendi fruendique, salva rerum substantia. sed est illa definitio minus accurata, neque rei indoli, de qua quaritur, exprimendæ satis sufficiens. Interim, me iudice, vel ex ista medio loco allata rei definitione, non præter rem colligi posse arbitror, obligatum esse quemlibet, qui ex aliena re comoda percipere vult, ut in lucri, quod perceperit, communionem adiscat ipsum quoque dominum. De cuius moralitate seu iustitia actus conventionisque, in in sequentibus plura.

§. III.

Questio est non pristino magis quam nostro ævo vexatissima: *an usurae licitæ sint censendæ, nec ne?* Qui glossas scripturæ dictis adjecere veterum nonnulli, nulla ex parte aut casu aliquo, easdem licitas esse, quasi pro tribunali lata sententiâ, edixerunt. Verum circumstantiis non rite expensis, a termino & scopo longius aberrasse, modo dispalescet. Non videntur illi probe observasse distinctionem *usurae* atque *fœnoris*, cuius

utriusque rei atque notionis non raro, magnum tamen habitum est discrimen, certe non levem inter utrumque genus, differentiam veteres constitutam voluere; quippe *usuræ* vocabulum nullis non publici juris scriptoribus, præcipue verò recentioribus in bonam partem sumitur, Sueticoque *Ránta*, ut & *Gallico* illi magis usitato; *Interet* (a) e diametro respondet. Illa ubi cumque legibus civitatis definitur, moderata vocatur & quidem licita. E contrario vero, ubi ultra præscriptum sænebris petunia exigitur, idque damno magis quam adminiculo illius, cuius in acceptis eadem relata fuerit, *Campnaria* Latinis, itemque *feneratoria*; Germanis *Wucher* & *Schinderet* dici sovit. quæ cum aliis hominibus, præcipue verò egenis agendi ratio, uti nullis non legibus humanis atque divinis, ita *ARISTOTELI* inprimis politicorum libro I. artibus ditescendi illicitis adnumerata penitus, cum *feneratoricem omnium in odio esse debere*, non dubitanter affirmat. *LUCIANUS* Usuram voracem & alienas opes sitientem appellat, usitatam non aliis, quam qui alienæ calamitatis ministri sunt, temere savientes sub prætextu non *illiberalis avaritiæ*, cuius tamen præterquam in tempore recte secando atque collocando, in rebus humanis, ex effato *SENECÆ*, *nullum honestum nomen est*.

§. IV.

(a) interesse vocabulum in commerciis rerum civilium usu venire capit illo tempore præsertim, quo *usuræ a Romana curia prohibitiæ essent penitus*. Tam vero sicut *Canonistæ ipsi artes & cavillationes pie varias excogitarunt ad regendam usurariam pravitatem suam, de qua infra*. Ita neque illi, qui extra civitatem ecclesiasticam, suam quamcumque rem augere non omnino inonestum putabant, minus ingeniosi fuerunt in rimandis viis, quibus in securo illi quoque excommunicationis cum infamia fulmen idem efugerent. Igitur cessantis lucri & emergentis damni

intuitu, cui in tempore cautum voluere, ex capite dilatas solutionis, quodcumque lucrum sibi stipulati fuerint saneratores, illud, termini lusu quodam, interesse appellabant.

§ IV.

ANtequam ad civilem taxationem *usurarum* transire fecerimus, quid de earundem in genere *justitia*, moralitateque, leges naturales decernant, primum dispiendum. Illæ cum *Socialitatem* h. e. perfectionem omnium & singulorum hominum, quam provehant atq; promoveant, pro scopo semper habent, adeoque nemini non concessum velint, ut substantiam rei suæ accessionibus, quæ commode fieri possit, auctum & multiplicatum ire queat; idque in modum rerum naturalium tantum non omnium, præcipuè vero terræ, cuius exilem & contentam glebam, neque sine usura multiplici reddere ea, quæ acceperit, modo audivimus. Exinde non difficulter quoque colligi atque subsumi posse speramus, incrementi genus hoc ipsum, de quo quaritur, cæteris paribus, non proscribendum penitus & in ordinem illicitorum referendum esse. Sine non bono & legitimo, ex sua re lucrum, cum aliorum damno exigere, nefas esse; eandemque ditescendi rationem sequi ex illa Romuli sæce, multos, non nego: sed si exinde, quod in fraudem & malitiam multa verti soleant, illæ etiam quæ ad usum spectant res, quemadmodum abusus, proscriptionem eandem mererentur, *Creationis* opus Numine ab ipso frustra susceptum, *dominium rerum* frustra concessum, ejusque amplificandi infinito numero vias, rationem atque naturam (quam tamen frustra nil agere novimus) gratis insinuare nobisque commendare diceremus. Igitur cum modica fuerit & rationi circumstantiarum congrua usura, quæ pro

6
pro re mutuo data, & sigillatim pro pecunia redditur in vicem redhōstimenti domino atq; creditori, tantum abest, jure naturali illicita censenda sit, ut damnum ex re sua evidenter, idqve gratis sustinere officia reflexa, quæ strictissimi juris sunt, quantum in se, caveant atque prohibeant. Ex illa morum regula, pro ut nemini non concessum est (sua qualicunqve industria augere substantiam rei suæ: ita ullo neqve dubitandum modo, quin perfecto jure neqve obligetur quisquam ad augendam egregiè rem alterius suo cum incommodo. Sunt officia humanitatis reciproca, ita ut qui alienam in se augendo liberalitatem experiri velit, is ipse, pro viri-um suarum modo, quoq; obligetur ab rependendam beneficiæ vicem benefactori suo. Et quæ quæso! alia locata pecuniæ ratio, quam prædii aut domus pro pecunia utendi concessionis? Ponamus *Cajum* esse instructum pecunia, qua emere possit fundum. Eundem *Petrus* cupit, sed pecunia destituitur. Rogatu igitur *Petri*, *Cajus* emit fundum, eidemqve, *Petro* nimirum eundem locat. Nemo non istum contractum justum & honestum existimabit. At verò si à *Cajo* mutuam pecuniam sumisset *Petrus*, quâ fundum emisset, tantumqve ex pecuniâ scenus, quantum pro conducto fundo, solvat, quæ, quæso! interesset differentia? quidquid usum & incrementum æris crediti pro latrocinio habeat *RFMIGIUS CEILIER*, & una cum illo pontificiæ scholæ doctores non pauci (*) inducti in illam opinionem, ut videtur *LACTANTI*, in divinis institutionibus, effato præsertim; ubi dicit: *ab eo, qui pecuniam crediderit, non esse accipiendam usuram, ut incolume sit beneficium, quod succurrat necessitati, & alieno quis etiam de cetero abstinat.* Scilicet turpitudinem quandam moralem in usuris quæsitit *La-*

Sanctius ex fonte mordacis avaritiæ præpullulantem. Sed potuisset ille & una cum ipso cæteri patrum ecclesiasticorum plurimi: debuissentque, qui vestigia eorum temere sequuntur *Romanenses*, donec penitus & ad umbelicum excussa fuisset quæstio ista, in conciliabulis suis publicis atque privatis suspendere condemnationis rigorem suum, quo usuram, cuiuscunque nominis aut generis esset, furtum esse dixerunt, cum nullo non gravissimo scelere comparandum & excommunicandum (b) Inprimis postquam a juris publici consultis recentioris ævi, plus satis evictum est, usuras, quæ nil damni aliis accelerant, neque cum charitate proximi pugnant, iuri divino nulli repugnare. De jure naturali jam ante diximus, cui si repugnarent usurae, DEUSEASDEM neq; in peregrinos quidem permisisset, quod tamen factum fuisse Moses ipse perhibet (c). Scriptura dicta, quæ vulgo afferri solent, non quadrant aut ad illud, quod volunt, obtinendum quidquam conferunt. §. V.

(a) Quo pacto reverendi patres isti, contemptu transitoria gloria, felicitatis atque divitiarum, inprimis vero usurarum neglectum insurrent auribus credula plebis, & interim ipsi usurariam pravitatem strenue exercendo, uncis ad se manibus terra cremorem attrabant, conferrî meretur L. MONTALTIUS seu verius B. PASCHALIS in suis literis provincialibus Cap. 8 p. m. 188. &c.

(b) Lege civili, quæ CHRISTOPHORIANA audit in patria nostra prohibita videntur usurae, saltem secundum quid. Illae nimiram quæ contractum feneratorium sapere videntur. Sanctionibus ecclesiasticis autem, quemadmodum alibi passim, inter crimina majora referuntur, ita ut si quis usurarium sepelire sustineret, in excommunicationis gravissimo supplicio, omni absque spe gratia, muldaretur. vide sis Doct. A. O. Rhyzelii de sepultura V. Sues Gotb: II.

(c) De uteron, XXIII, 19. 20.

Verum non ex *præjudicio*, juris *Canonici* doctores, sed philosophorum magni nominis *judicia* quoque *usuras* indiscriminatim omnes sublaturum ire velle videntur. *Aristoteles* vitium usuris inesse credidit, quod essent contra *naturam* [a] *Philippus Melancthon* quoque tempore reformationis, patrum sententiæ preesse inhærendum censuit, usurasque puniri magis quam tolerari voluit in republ. Christiana [b]. *Grotius* *o nãv*, quamvis consentiat *usuras* rationi, id est, legis naturalis veritati non simpliciter repugnare; ex Scholasticorum vet: & recentiorum, & quidem præcipue *So inianorum* mente tamen, contra voluntatem divinam *moralem* in veteri Testamento patefactam, exigi arbitratum, adeoque contra jus naturæ Christianorum, quod ad majora specimina virtutis eos obligat; ita ut quæ in V. T. Judæis invicem ex lege præstanda essent, ea hodie nostrum cuique, sub novo fœdere quoque, observanda veniant. Sed quam mixturam *Scholasticam* theologiæ & philosophiæ, inter nãvos operis de cetero immortalis illius, non præter rem multi referunt, cum evidentissima declaratione non *identitatis substantialis* solum V: & N. Testamenti, sed & sufficientissima legis Mosaicæ explicatione, quod ubicunque prohibentur *usure* in veteri Testamento, pro præcepto neque naturali, nedum morali, sed forensi & positivo sit habendum, quod Judæis ex peculiaribus rationibus, latum fuerit atq; promulgatum. Scilicet cum videret Deus, concessio usû fœnerationis usurariæ, ad abusum & afflictionem civitatis non ex longa mora transitum patefactum iri, ideo non fraudem & flagellandi abusum modo, sed usum rei alias licitæ, innoxium quoque interdixit. eodem modo, quo parentes priva-
tim

tim, ubi viderint alumnos disciplinae suae, impetu quodam ferri ad certum genus vitiorum, ut puta violentiam, aut petulantiam aliis temere insultandi, non injusto & immodico vini usu, non *abusu* artis gladiatoriae solum, sed & *usu* utriusque rei alioquin concessae, arcere solent; ne ex aduetudine utendi, abusus, sui aliorumque noxa improviso emergat. Igitur quod nefas iudicatum fuit in republ. Judaica Theocratica, illud non illico in omni republica, nedum Christocratica, ceteris paribus, illicitum est censendum, quamvis in aliis non paucis, sub illa haec ipsa adumbrata fuerit.

(a) Nummum putat philosophus ad hoc minime inventum, ut semetipsum auget, sed ut aliarum rerum acquisitioni inserviat. Verum explodit rationem illam, ceu inbecillam admodum, Salmasius de usuris: nempe, quod sic quidem multa proscribenda essent, quae praeter ordinarium, alii usui quoque utpote, commerciorum, applicari vulgo solent. Refert eodem vestes, quarum usus ordinarius est operire nuditatem corporis. Sed cui fini non obstat vestimentorum cuiusvis generis commercium. (b) Ludevig tom: V, reliq' p. 358.

(b) Sveton. August. Cap. 41. Tacit. annal. VI.

§. VI.

PRout variata humanae & civilis vitae conditionem esse viderunt rerum publicarum rectores, ita, quod ad exactiorem & praestantem usurarum, ab invicem quoque differre invenimus Legum de foenebris pecuniae fructu ejusque quantitate, constitutiones. Ne usurae communes supra duplum exigenterentur. Aegyptiorum vetus lex erat; ad quam respexisse OCTAVIUM & TIBERIUM imperatores, credibile est, cum publice pecuniae gratuitum usum ad certum tempus indulgerent egentibus, qui in duplum cavere possent. Imperatoris JUSTINIANI quidem constitutio e-

rat, ne personæ illustres, in quocunq; contractu vili vel maximo, ultra tertiam centesimæ partem, i. e. ultra *trientes usuras* exigent. Istam proportionem damni atqve lucri à potentioribus princeps observari voluit, quæ tamen non *cives* ipsi solum, sed & doctores, qui doctrinam moralem & civilem scientificè complexi sunt, restrictè & parcè nimium temperatas esse judicarunt. Illos verò, qui *ergasterio* præessent, vel aliam quæcumqve licitam negotiationem exercerent, ad *hessem* h. e. trientem centesimæ, *usurarum* nomine, in quocunqve contractu, solvere voluit imperator. De *nautica* usura, aut si dicere mavis, de contractibus *trajectitiis*, in quibus pecunia datur trans mare vehenda, periculo creditoris, quod verbo *assecurare* alias insignimus, forte diversum non nil sentiendum. Etenim cum *creditor* pecuniæ periculum, quod ad *debitorem* pertineret, ex pacto in se suscipit; non certe iniquum fuerit, æstimationem hujus periculi ei a debitore reparari, majore *usura*; modo, quo periculum mercium, peregre transvehendarum plus minusqve constare, & pro ratione damni, quod territat, majoris vel minoris redimi solet. Ex antecedentibus autem constare arbitror, quantas exigere *usuras* veteribus usitatum fuerit. Quod ad nostrum ævum, sufficiat dixisse, in imperio R. G. hodierno, pro more gentis atqve regionis illius, *usuras* definitas & determinatas esse *quicunqes*. In nostra civitate *usuræ* *sesantes* tolerantur & publice probantur. quem justum modum, si in alienam, præcipue vero legis fraudem, *usurariorum* aliquis egredi sustinerit, cum non *excessu* pecuniæ *ipso* modò exuendum, verum *Sorsis* suæ quoqve decima parte multandum esse, sanciunt leges *Succanæ* novissime promulgatæ.

(6) Quamvis credibile in ævo illo & legitimo

mo-

modo non nisi ægre subsistere multorum avaritiam; sed centesimæ etiam octuplicatas, & plus ultra, id est; sanguinolentas usuras non raro exigere impudentes negotiatores argentarios. de qua usuraria pravitare in sequentibus plura.

§. VII.

Patet longe lateque commercium *usurarum*, imprimis autem in pecunia mutuatitia, usum habet amplissimum. Est *usura accessio* seu *merces pro pecunie usu, ex justa causa debitæ*; cum illa mercede proxime conveniens, quæ pro usu aut fructu prædiorum solvi vulgo solet. Illa vero accessio, sive ex fundo locato, sive ex sorte pecuniaria immediate percepta, quamdiu nil iniqui admixtum habeat, utrum *lucrum* proprie dici possit, a D. D. quæri solet? Aliter autem a *Canonistis*, aliter a Juris civilis consultis illa quæstio decidi solet. *Priores* absolute lucri nomine venire volunt omne, quod supra sortem exactum fuerit, propter beneficium mutationis. Hi vero compensationem moderatam pro usu pecuniæ sti-

B.

pula

(b) *Handelsbalken Cap. IX. 6.*

(c) Constitueram animo meo de Cambii jure Sveshico apponere nonnulla, saltem publice Instaurati illius historiam capite distincto pertexere atque comprehendere. Sed brevior constituta dies opellæ huic, istam ut in aliud tempus euram cogitationemque differam, instanter monet. Id intransitu dicendum tamen, ex illo veteris scholæ & ecclesiæ præjudicio, superioris seculi anno sextuagesimo primo, cum *mensæ argentariæ* leges primum prodirent, fluctus in simpulo minime leves excitasse *prætoriarum* potestatis amulos zelotas. sed quæ rianitu majore, quam momento, fulminamora, post breve disparuere, cum proseriptionis iras suas, tempestatum potens vis suprema regni vibrare inciperet.

pulatam, minus accurate *lucrum* dici posse putant; cum sit saltem pro usu rei alienae, aequivalentis rei praestatio quaedam. Scilicet quemadmodum in simplici *permutatione*, rerum fungibilium species, quas ipsi possidemus, pro re quacunque fungibili aliorum, recipiando commutandoque, nisi ultra modum & mensuram, id est, valorem rei, quis acceperit, *lucrum* non percipit: ita qui pro rei suae usu mercedem ab utente acceperit, pro iusta publice agnitam approbatamque, quamdiu praescriptum tenet, neque in praedam aut quæstum rem suam contulisse dici potest. Sunt, quibus *usura* videtur conferri acceptarique propter officium *mutuationis*. sed cum officium in disciplina *morum* sit virtutis actio quaedam externa, eademque imperfectae obligationis, quatenus ab officiis *pactorum* distinguitur; sensu forensi certe, quatenus commercium est, hoc est rerum & mercium *permutatio* quaedam, idque rerum fungibilium, quae mutuo debentur obligatione quaedam perfecta, *usuram* esse genus officii quoddam minus accurate dixerimus. sensu grammatico dicere forte poterimus, sed non sensu juridico. *Quis enim unquam, verba sunt MODINÆI, [a] propter ipsum mutuationis officium duntaxat, usuram stipulatus est? & non in compensationem vel damni incurrendi, vel utilitatis cessaturae, vel participationem lucri quod facturus est debitor? putas ne tot juris consultos & v. p. S. C. Juris civilis in hoc solum laborasse, ut metani praesfigerent usurie, quae propter ipsum officium mutuationis exhibitum duntaxat stipularentur, & non potius, imo duntaxat his, quae in compensationem ejus, quod creditoris interest, vel quoad sors reddatur, interesse poterit, stipularentur?* Eadem absurditate mercedem in *locatione* accipi propter officium *concessionis rei*, non in *compensationem usue* dicere

dicere possemus. quem conceptum in *mutuo* phantasticum ex eodem *Molinaco* recte dici, *Boehmerus* non prae-
 ter rem existimat. adeo ut, quae in usurarios promi-
 scue probra jaciuntur quod ab officio temere discedant; le-
 gem primitivam, post lapsum homini latam pessudent, qua-
 tenus non in sui, sed alieni vultus sudore panem com-
 medant: quod sabbathi violatores strenui, aratrum su-
 um die Dominico neque requiescere sinant, petitiones
 principii metæ sint: ullius neque virtutis ad proban-
 dum, neque usus ad promovendum vitæ humanæ perfe-
 ctionem, quamdiu de moralitate h. e. injustitia omnis
 foenebris pecuniæ, ejusque majore incommodo quam
 commodo, nondum certo confiterit.

§. VIII.

Postquam vidimus fundamentum *usuræ* legitimum in-
 esse, h. e. causam ejus exigendæ penitus non de-
 ficere, quæ justitiæ naturali superstructa, jure publico
 civitatum assumta, & denique positivo jure divino ne-
 que reprobata est. Sequitur porro dispiciendum, *utrum*
ab omnibus illæ æqualiter accipiendæ sint? Ad quod distin-
 guendo non incommode quis respondere potest, ad qua-
 litatem personarum & illarum indigentiam primum
 quidem respiciendum esse. Illorum enim, qui nostram
 rem in temporarium sui usum convertere cupiunt, *vel*
 præsentis sortis suæ durioris sublevandæ causa *mutuo*
 quarunt, *vel* ut negotiatione instituta, rebus suis meli-
 us & commodius consulere possint. In posteriore casu
 prout debitoris lautior sæpe fortuna esse potest, quam
 creditoris: saltem ad lautiores fortunam adspirat de-
 bitor

(a) *Carol. Molinæ de commerciis & usuris quæst. 20.
 n. 75.*
 (b) *Bohm. Jurispr. eccl. V, p. 312.*

bitor, mutuuum usurarium, h. e. *usura pecuniae aliusve*
rei fungibilis creditae nullo modo illicita, praesertim
compensatoria quae damno dantis & lucro accipientis re-
spondeat. Verum si imbecillus fortuna fuerit debitor,
 & tantum non habeat, quantum ad declinandam men-
 dacitatem opus sit; si, inquam, ea fuerit indigentia de-
 bitoris sive senis, sive aegrotantis, sive alias nullo suo
 merito calamitosi, ut vitam nisi suffultus alieno admi-
 niculo, tueri nequeat, cum non mordaci exactione in-
 majus flagellandum, sed ab *usura* liberum & immunem
 esse debere, humanitatis ratio ipsa suadet. Illud vero
 quidquid fuerit officii, non *Saluator* ipse solum praecipit
 in euangelio, [a) quando ejusmodi mutuuationem rei
 cujusque commendat, ut *paratus quis sit etiam sortem con-*
donare, sed *Cicero* etiam, cum aliam causam esse ait
 illius, qui calamitate premitur, & ejus, qui res me-
 liores quaerit, nullis suis rebus adversis. Propensior igitur,
 benignitas esse debet in calamitosos, nisi forte
 digni erunt calamitate sua. Ex dictis non difficulter col-
 ligi posse spero, *usuras*, salva conscientia facile nullas
 esse exigendas, nisi a rebus & pecuniis nostris, ad quaer-
 tum & commoditatem aliorum prostantibus. Peccat
 contra regulas *amoris socialis*, qui cibo, domo, & gra-
 tuita pecunia non vere egentium necessitatibus succurrit.
 Haec regula tamen, circumstantiarum habita ratione,
 exceptionem patitur omnino, si non *contractus onerosos*
 in genere omnes, opere & coeco nisu eodem eliminare
 voluerimus.

§. IX.

IN legitimo modo *usuras* non subsistere: verum in illis
 exigendis *Illicos* intra & extra muros peccari, jam
 ante diximus. Usurariam pravitatem exercent foenera-
 tores

tores *Laici*. *Clerici*, quamvis in genere, idque publicis
 Theologiae moralium institutionibus, execrentur foene-
 brem pecuniam, eandem tamen, si clam fieri posse vi-
 dent, non spernunt, sed in majus saepe, quam priores
 illi, eandem intendere solent. Subterfugia & vias diver-
 sissime sectas utrinque sequuntur, quibus, stante prohi-
 bitione usuraria, fructum pecuniae quaerere & augere
 possint; quorum inventorum, cum alia majorem liciti
 speciem, alia non nisi meram cavillationem in sinu
 gerant, *palliatas usuras* promiscue omnes non immerito
 appellari a *Dnis. Doctoribus*, quis non videt? quae vis no-
 tionis technicae illius usum & inventionem sibi ecclesia,
 ceu rem suae proprietatis, assertam velit. Illa v. ne qua
 parte perluceat in probitas, Canonistarum nonnulli sunt,
 qui a laicis ceu extraneis fructum, mutuatitiae rei no-
 mine, talem non inhoneste exigi posse censent; jure e-
 odem, quo in V. T. salvo jure gentium, Judaei ab ex-
 traneis ejusmodi fructum petere potuerunt. Eset haec
 locus differendi de *montibus pietatis* pontificum, usurisque,
 bono non illorum, qui sortem *crediderunt*, neque eorum,
 qui mutuo acceperint, sed eorum, qui saeneratoriae isti a-
 rationibus esse solent, praestari solitis: sed non patitur pro-
 posita brevis ista tractationi nos altius immergere.
Marpergerus, commerciorum praeter aliis doctoribus sciens
 prudensque, quid de trapezitica mensa hac ipsa, ejusque di-
 versis speciebus sit habendum, in dissertat. peculiari, quam
 de *montibus pietatis* inscripsit, satis accurate scripsit. Id sum-
 matim tenendum, quod in speciem operis meritorii, di-
 tioribus sic quidem emungatur pecunia, & vere paupe-
 ribus nil fere *isdem* succurratur. nisi in illorum censum
 referre velis Cardinales, ipsumque denique Papam,
 qui, quod erogationibus ambitiose multis non raro distringi
 solent

solent, invento palliativo isto agræ carere possunt. Quibus diverticulis in utraq; republica, sive ecclesiastica sive civili, moris sit peccare in presenti negotio, *Boehm-
rus* doctor juris utriusque consultissimus aperte prodit (a). inter maximæ usitatas pravitates usurarias refert, si in fraudem usuræ legitimæ, quis usurâ unius aut alterius anni, summæ mutuativæ ab initio statim adscribi curaverit, eandemque nomine sortis debitori in acceptis referat. Porro, si debitori quis merces diversi generis atque speciei obtrudat, easque majori pretio æstimet, quam quod ordinariè constitutum fuerit (ille qui fucus hispanico idiomate *Moharra* dici solet) usurariæ pravitatis crimine ille quoque semet obligat. Imo si honorarium quis a debitore supra usuram exigit; aut pro pecuniâ deteriore numerata, qualitate meliorem, sibi, in vicem supplementi stipulatus fuerit, sceneratorum mordacem ille neque mediocriter redolet. Sed quis infinitas fraudes & imposturas, quæ circa negotiationem trapeziticam obrepere solent, recensere omnes, earumque certum numerum inire potest? Filum vero præsentis meditationis in vestigio abrumpere, & cogitationes ad alia deflectere, quæ patriam percellunt, tempora seva suadens, & quæ iisdem implexa est, necessitatis

ratio summa jubet,

(a) Tomo 6 titulo citato.



Auctori dissertationis perindustriæ,
Dn. NICOLAO WIJDBOHM,
Amico & consanguineo certissimo!

Quod, amice jucundissime, præsentem dissertationem elegantè & nervosè conscriptam publicæ lucis facere volueris inter tot tumultus & quæ ab omni parte micant incendia bellorum, de eo certe non possum non, anxius ipse licet, in sinu letari. Neque me solum, sed & omnes, quibus virtus & eruditio cura cordique fuerint, in amorem ista in turbis quieta industria Tua rapit. EPICUREI fidelem lucernam homines, qui salem habent, proverbio ludere multi solent. Utrum vero in publicis malis philo-
sophum non optime moratum & animatum egerit, cum rebus, quæ in nostra potestate non sunt, moveri, non nisi opinionis esse, ait, & propterea cavendum, ne intrinsecam congemiscendi causam penes se ipse quis inveniat; qui indolem & nexum rerum humanarum penitus introspexerit, omnibus considerandum relinquo. Me vero Tu amicitia & officii penitus immemorem non injuria accusares, si quam de istiusmodi moribus & vitæ philosophicæ incrementis Tuis, letitiam concepisti, eandem premere & publice non orumpere sinerem. Gratulor itaque Tibi ingenium fecundum insignem in porticu MINERVÆ navatam operam, & denique virtutem invictam, si super re, quæ Tui arbitrii non est, curam neque in posterum aliquam suscipias, aut certamen ingrediare, in quo victoriam non obtinebis. Vale & indesinenter amare perge.

Aboac die 12. Julii

Tuum

An. 1742.

CAROLUM FRIED. MOLLERUM.